...coviensis — 1799.

...ski Stanislai Metatio castrorum Palladis Jagellonicae

METATIO CASTRORUM, PALLADIS JAGELONICÆ;

QUAM

Heroica Munificentiâ,

ILLUSTRISSIMUS

&

EXCELLENTISSIMUS DOMINUS

D. JOSEPHUS GONZAGA

MARCHIO in MIROW

MYSZKOWSKI,

CASTELLANUS SANDOMIRIENSIS,
CAPITANEUS LANCKORONENSIS,
Jn Vrbe Hereditaria Pinczoviensi,

INSTAVRAT;

In prima Scholarum apertione,
contra Hostem animorum ignorantiam.

PER

M. STANISLAUM DASCZYNSKI,
Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem,
ab ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI,
eiusdem Gymnasij, designatum
Primum DIRECTOREM.

STYLO ORATORIO

DELINEATA.

Anno terminati Jubilei Magni 1701. Die 27. Decembris.

CRACOVIÆ Typis VNIVERSITATIS.

Desiderabilis est literarum eruditio, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi enim prudens invenit, vnde sapientior fiat, ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: inde Princeps accipit, quomodo populos sub æqualitate componat, nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum non augeat gloriosa notitia. *Cassiodorus lib. 3. Epistol.*

Literæ posteritatis causâ repertæ sunt, quæ oblivioni subsidio esse possent. *Cic: pro Sylla.*

ORATIO.

TRanquillum Musarum Regnum, etsi procul à fulminante Gradivo & sterpentibus armis positum sit, hacq; lege altæ pacis æternum habeatur, domicilium, in communi nihilominus Orbis tempestate, sæpenumero nec Sapientia sine viribus tutâ. AA. Etiam huic, non vnus ad portas imminet metuendus Annibal, gemmatos Latij postes arietare paratus, si vacuum robore pectus, nulla valida muniat armatura. Domi est, imò intra animorum repagula latens, quem nomino hostis, tantâ virulentiâ, vt pestem nocentissimam dicere ausim, calliditate tam ingenti, vt nulla pars mentis, eius ab insidijs vacet. Quidquid sævi natura progenuit, non semper ferum est: nam & longa dies homini docuit parere leones; certamen, quod contra animi hostem suscipere cogimur, nulla terminat ætas. Horrendum monstrum est, ingens, deforme, cui lumen ademptum, mortalium generi, ab ipsis incunabulis mundi, facessens negotium grande, contra quod nec Herculis clava, nec saxa, nec ignes, nec Xerxis Numerosæ copiæ,

quidquam agunt. Horret animus tam informe dicere nomen, quod causa malorum, mundum erroribus replet, hominum exoculat turbam, velut vlysses Polyphemum in antro: impellit in devia, vbiq; Thermopilas Leonidæ, Cannas Annibali, Trasimenum Romano & Trebiam facit: quod turbat Areopagos, Astræam terris exulare cogit: Themidis Sacram violat aram: quod Urbes destruit, solitudines inducit, in regno opulentiæ, fortunæ mancipia, asinis auro onustis, simillima reddit: quod deniq; sana corrumpit consilia, Reipublicæ navim, in Scopulos, Scyllas & Charybdes, impellit. Domesticum id malum est, & hostis semper vicinus ignorantia, tantorum discriminum operatrix infamis, quæ mox in cunis, infantiam nostram premit, crescentibus annis oppugnat pueritiam, luctatur cum adolescentia, nec virili parcit ætati, nî die nocteq; vigil animus pro domo sua noverit excubare. Tanti, non ignari mali, Orbis literati Atlantes, corcula sapientiæ, gemmæ melioris sæculi, cælo dignæ animæ, aurei ævi Principes Divi CASIMIRI JAGELONES, ZAMOSCIJ, RADIVILLI, ingenuas artes in præsidium Lechico Orbi advocarunt, proq; Patria & Ecclesia, in suis ditionibus excubare, provida excelsi animi perspicaciâ, voluerunt. Similes non quæro in Græcia propensos in literas Alexandros, nec Fulvios, vetustæ Romæ decora ampliùs refodio, quibus olim intra gloriã stetit, in circo Flaminio, Herculi Musarũ posuisse ædem, vt meliori Reipublicæ bono, & Musarũ quies defensione Herculis, & virtus Herculis, voce Musarum juvaretur. Hoc Tu agis, par summis Heroibus, Avorum Atavorumq;

glori-

gloriam, magnis virtutum ſplendoribus augens, ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, CASTELLANE SANDOMIRIENSIS, CAPITANEE LANCKORONENSIS, qui ad emolumentum Reipublicæ, ad excitandam ſpem aureæ felicitatis, ad augendam bonarum literarum gloriam, auguſta munificẽtiâ, iubes Iagelonicam Palladem, in Tua Hereditaria Vrbe, contra animorum hoſtem ignorantiam, ſua caſtra metari. Claſſicum hîc primus ego canam, favente mihi Veſtra benevolentiâ, quam ſupplex Muſarum peto Sacerdos.

Auream hodie adhuc probant ſæcula vocem, qua olim nonnemo Principum illud optaverat tempus, quo ſtipendia militum, in præmia Doctorum conferre liceret. AA. Publicæ enim felicitati proſpicere eſt, velle erudiri ad ſapientiam Orbem, & illâ, hominum mentes muniri armaturâ, contra quam, tantùm poſſint adverſitatum fulmina, quantùm aut mucro ſtellati Orionis contra Solem, aut contra Perſei Scutum, atrocior aſpectus. Nihil enim erudito potentius animo, qui nullo ſtipatus ſatellitio, minax contra fortunam inſiſtit; ſi tunditur in Anaxarcho, non contunditur; cicutam ſi haurit in Socrate, intoxicari non metuit; ſi exulat in Themiſtocle, omnem terram, ſuam cenſet Patriam: etſi fractus illabatur Orbis, impavidum feriunt ruinæ. Profectò Atlantes Orbi fatiſcenti provident, qui magnis profuſis impenſis, adoleſcentum mentes, melioris literaturæ Spiritu imbuere, ſolliciti curant.

At verò quos tales in veniri cenſeam? illoſne, qui millenis cum Pluto ſeſtertiorum ſacculis incubantes, & novos quotidie fænorum pullos, avi-

 diſſi-

dissimis oculis relegentes, in maxima rerum copia, in seipsos injurij pauperes vivunt, nec tantillum de suo cuiquam communicant, vt divites moriantur: fame & siti se vltrò enecant, vt post funesta fata, infamibus liberorum gutturibus, turpissimæ commessationis, diuturniora relinquant condimenta. Eosne in rem boni publici liberales putabo? quorum pectus, quantò altiùs radix malorum insedit avaritia, tanto longiùs à pietate erga Deum & Patriam, à religione, fide, Sanctimonia, ijsq; omnibus, quæ rem & nomen exornare possunt, malè frugales recedunt. Illosne munificos dicam? qui ut talpæ, nemini vitam credunt, nisi terræ, quam excavant & inhabitant; ita illi deposita nummorum suorum, non Polo, sed Solo, non Patriæ, sed peræ, non publicis Regni splendoribus, sed Cimmerijs Sacculorum tenebris, concredere solent. Apage talia Nomina ab Heroicæ beneficentiæ Mnemnosino. Hìc illi non nisi aureis consignātur characteribus, quibus amor boni publici, est omni valentior auro: intra quorum divites gazas, nil est, quod non vel Gradivus in Patriæ defensionem sibi vendicet, vel erudita Minerva, Ecclesiæ & Reipublicæ commodo, in vsus publicos, & optet & aptet. Rectè dixerim, munificum virorum eiusmodi pectus, Solem & Oceanum esse: vt, enim ab hoc scaturigine copiosa aquarum, vniversus irrigatur Orbis, ab illo & Cœlorum convexa, & terrarum partes, lustrantur ac illustrantur abundè; ita à munificentissima optimorum Civium gratia, omni beneficiorum genere dives, descendit copiæ cornu, fovendisq; ac illustrandis mortalium animis, beneficum lumen derivatur. Et sanè

applau-

applaudat sæculum omne eorum gloriæ, ex quorum ærario, Mars Patrius, vsitatum vivere, habet, & Bellona numerosas conscribit cohortes, pro aris focisq; , contra coniuratam barbariem ducendas in hostem; augustior tamen ijs contingit sine pulvere palma, quorum munificentiâ, Togata Pallas ruditatem Orbis excolit, si non nisi ab illius consilio, prudentia & sapientia, belli & pacis rectè constituendæ ratio pendet.

Quid mihi cum Anthæi viribus, quæ expertes consilij, facilè mole ruunt sua: quid cum cataPhractorum militum turmis, hastatorum legionibus, si sit nullus ingenio Macedo, nullus prudentiâ Epaminondas, nullus fortitudine Scipio, nullus sapientiâ reiq; bellicæ peritiâ Cæsar, qui tàm vastum corpus animare, hortari, regere sciat. Quid mihi sine literis & literatis, populis refertissimæ Vrbes, opibus florentissimæ regiones, nisi Regia, extra splendidissimis fulgurans tapetibus, intra vile culicum domicilium, fæda sterquilinij officina, inqua araneæ, Muscis tela texunt, mures pro comitijs, de interitu felis disputant: lupi pro tribunalitio cancellorum consessu, de cæde custodum canum perorantes, vlulant, imbelles deniq; lepusculi, pro rostris, de assidua divexatione miserrimè conqueruntur. Prorsus deplorandus rerum status, vbi populus in vinculis ignorantiæ gemit, animi torquentur rerum inscitiâ: cepas & allium, cum Ægyptijs, Numen putant: fontibus & igni, Divinitatem credunt inesse: plantas, arbores, sylvas Cædere, homicidij arbitrantur crimen: passim ab ignorantiæ hoste, in labirintum rapiuntur errorum, vt sic implicati, vitiorum Minotauro, esca & pabulum fiant.

Meretur immortale apud ſæcula Nomen, Tua Munificentia, JLLUSTRISSIME, & EXCELLENTISSIME DOMINE, CASTELLANE SANDOMIRIENSIS, GAPITANEE LANCKORONENSIS, qui Divi Jagelonis Muſas in Tuam Hereditariam Vrbem evocas, vt in hoc quoq; loco contra hoſtem animorum ignorantiam, noverint excubare. Non jactet Occidens ſuos CONSTANTINOS, THEODOSIOS, GRATIANOS, FERDINANDOS, alioſq; pijſſimos Principes, delicia & ocellos Minervæ: etiam Septemtrio Noſter, Phænicem Te, & rari pretij in corona ſapientiæ gemmam veneratur. Quid enim agis JLLUSTRISSIME, & EXCELLENTISSIME DOMINE, Fundator Munificentiſſime, dum Palladium & Ancile Tuis Mænibus infers, niſi ut ſub auſpicijs Tuarum Aquilarum, validoq; Leonum præſidio, togata Pallas, glorioſa triumphet, & derivata felicitate in Patriæ & Eccleſiæ commodum, Tibi ſuo Authori, perennes laudes continuò promat.

Silet hodie barbara Pyramidum miracula Memphis, in quæ pretium omne, ſuperſtitioſa effudit Ægyptus, tot impenſis immortale nomen, ſuis Principibus parare pareréq; contendens, vt quibus in mortali corpore, ſemper vivere non erat conceſſum, in ſaxis & lapidibus perennarent: nil Tuæ liberalitati cum his poteſt dici commune, qui in immortalibus animis, Tuæ gloriæ monumentum ponis ære perennius, quod non imber edax, non Aquilo impotens, nec innumerabilis annorum ſeries poſſit diruere. Crediderim Divinam Tibi inſediſſe mentem, dum non Circenſibus ludis, non ſeptizonijs, nec theatris, aut amphitheatris extruendis, quæ ventura conſumat

vetu-

vetustas; sed honestissimarum artium exercitio, duraturo in ævum, auream munificentiam impendis. Non iam vni Alphonso, gemmis, auro, unionibus, imò regno toto potiores literæ, cum in Tuo Celsissimo animo, parem æstimationem repererunt; cui omne pretium vile, omne dispendium leve, quod Musarum domicilio, quod literatorum labori, in præmium cedat.

CAROLUS II Imperator Romanus, Simboli loco, pingi iubebat sacellum; à cuius latere sinistro, ingens auri acervus, à latere dextro, lauri arbor eminebat, cum præfixo lemmate: & auro & lauro; nil horum à Tua liberalitate, nil à Tuo Lyceo absimile, quod & auro & lauro exornas, dum laureatis capitibus hos postes pandi iubes, aurea munificentiâ subintrare invitas; vt in hoc literarum hospitio, non magis ad Rhetoricæ leges benè dicere, quàm ad honestatis instituta, benè vivere Iuvenes discant. Nempe non ignoras, literas, omnium fundamenta esse virtutum, sub quarum Magisterio, continentia, vigilantia, patientia, pietas, educantur: quarum culturâ, mitescunt ingenia, exuitur feritas, pellitur barbaries, morum inducitur comitas, discitur civilitas, mentium soboles, gemmascit, cætu sociata decoro. Nostî perbellè literas esse nutrices industriæ, quæ curias replent consilijs, forum iustitiâ, templa religione: quæ si bellum vrget, magnanimitate, si pax arridet, providentiâ, omnia definiunt. Ecquod vtilius, de Tuæ beneficentiæ Nilo, in Patriæ & Ecclesiæ commodum, promanere potuit? Fontem limpidissimum munifica reseras dexterâ, vt ex eo teneræ mentes, omissis limosis quibuscunq; rivulis, doctrinam,

candorem, pietatem hauriant. Nobile instituis literarum emporium, ad quod ceu ad mercaturam generosi adolescentes confluant, vt tantùm exinde lucrentur, quantùm altioribus disciplinis, quantùm capacitati suæ sit necessum. Lucidam Pharum Tua in Vrbe accendis, exqua eruditionis promicent radij; dumq; lubrica iuvenum ætas, affectuum tempestatibus, velut naufraga Navis, in procelloso salo, huc & illuc impellitur, hæc lampas munus habeat, revocare errantes. Defigis columnam, Colossis, Obeliscis, & quavis alia celsiorem mole, in qua hastatæ Minervæ Tyrones, ex hoste animorum receptas, consignabunt victorias, appendent trophæa, triumphales palmas exarabunt: in qua grata posteritas, Sago & Togæ, Marti æquè & arti, idoneos Cives, ex Tuo prodeuntes Gymnasio, auratis depinget imaginibus. is enim negat duntaxat Minervam Marti sociari, qui ignorat, dextrâ Achillis invictissimum cecidisse Hectora, Solones & Pericles, Themistocles & Xenophontes, optimos literatos, bellatores optimos extitisse; documento Orbi, & Palladi suam ægidem esse, & literas barbariem non fortitudinem exhaurire.

Da veniam JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, vt sterili calamo, in rei argumentum, Maiorum Tuorum cedro digna recenseam nomina, qui vtraq; Pallade instructissimi, Sarmatiæ dixerunt Oracula, Delphico Tripode sapientiùs, militaverunt Cæsare & Pompeio feliciùs, foris pro Patria Argi, Domi Consi, Cyneæq; habiti; vt res Phœbo clarior esset, eos in Castris Minervæ, benè assvetos fuisse victorijs, quibus in pacis & belli negotijs, facilè fuit, illu-

ſtribus clarere trophæis. Brevi hos complecti Syllabo, audacis propoſiti res nimiùm eſſet: ſæcula enim, momento dicere, oceanum vnica comprehendere guttâ, Cælum digito tangere vel metiri cuperem, ſi ſeptingentis ampliùs ab annis, Aborigenes Tuos Illuſtriſſimos, paucis periodis concludere vellem. Loquantur Heroum faſti, in Tua Jllustrissima Domo, Senatorio trabeatos Murice, quinque pulchra ſerie PALATINOS, vndecim CASTELLANOS, omnes vel Exercituum Regni glorioſos Imperatores, aut legionum peritiſſimos Duces, Hiliarchas, Capitaneos, vere triumphalem Senatum, quem ſi Cyneas ſimul videret, Principum conſeſſum meritò exiſtimaret.

Auxit glorioſè hæc Auguſta Familiæ decora, in firmamēto Eccleſiæ DEI primæ magnitudinis ſidus, PETRUS de Mirow MYSZKOWSKI, EPISCOPUS olim Cracovienſis, DUX Severiæ, in quo Optimum & Senatorem & Oratorem illa coluit ætas, cùm ſub tribus Regibus, Conſiliorum Senatûs inſignis Moderator, quoties loqueretur, non verba ſed oracula daret, tanta virtutis & eruditionis maieſtate conſpicuus, vt ex eo facundiæ, comitatis, & Magnificentiæ, ideam ac imaginem, quiſq; poſterorum ſumere poſſet. Et certè expreſſit hæc in ſe tanti Senatoris illuſtria animi lineamenta, & vivis adumbravit coloribus SIGISMUNDUS MYSZKOWSKI, Supremus Mareſchalcus Regni, Poloniæ Regum & Principum exterorum delicium, & amor, qui dignus fuerat æſtimatus, ob Heroicas virtutes, in Illuſtriſſimæ GONZAGARUM Familiæ, MANTUÆ DUCUM,

influere nomen Principesq; censeri, dum coaptari, & in suos Posteros, tam Inclytæ Prosapiæ titulum meruit derivare. Quid deerat tanti Herois Celsissimæ gloriæ? aurum auro adijci oportuit, & honoribus cumulari honores, quando CLEMENS VIII. Pontifex Maximus, cognitam illius in publicis functionibus, limatissimam prudentiam, dotesq; Principe dignas, Marchionatu coronavit; Leones, præpetesq; Aquilas Armorum Monili adiungês, vt quibus auspicibus, Iupiter Gigantes triumphaverat, & Cæsar Dictator, imperiū Orbis obtinuerat, sibi ad summa honorum fastigia Duces essent, Leonina fortitudine, pro Patria & Ecclesia, in posteris strenuè dimicanti. Æmula Virtus in Jllustrissimo VLADISLAO MYSZKOWSKI, Palatino Cracoviensi, non degenere tanti Patris Filio, pulchra meritorum, in facie Orbis, emicuit luce, qui Consilio Nestor, manu Achilles, trabeam Senatoriam ornavit Murice, quem victor gladius fudit, dum canente Classicum contra Svecos Marte Lechico, ibat in bella avidus gloriæ, vt periculorum ita victoriarum, Serenissimi Poloniarum Regis CASIMIRI Tertij individuus comes, de sua immortali gloria, etsi nulla prole beatus, bene tamen securus, quæ non in Minorum meritorum Successore, summam attigit augem. FRANCISCUM hic Marchionem in MIROW Castellanum primo, Sochacoviensem, post Belzensem, TUUM, JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, Progenitorem venerabundus suspicio, qui agere & pati fortia, mox prima ætate condiscens, à Martia fortitudine, doctrinam & pietatem non exclusit, his geminis,

vt in

vt in Aula, CAROLO, Serenissimo Poloniæ & Speciæ PRINCIPI, Płocensi & Vratislaviensi EPISCOPO, intimè carus, ita inter Gradivi furores, velut septemplici Aiacis clypeo semper securus, pro Patria, & animæ & opum prodigus, ditior tamen Arabum gazis, pro cuius foribus, ipse virum ambiens, excubabat honos, & fugientem sequebatur, iam Senatorias obiectando Curules, iam Divæ Themidi, æquissimum exposcendo præsidem, vt eius ore justitia loqueretur, qui benè vivere, neminem lædere, suum cuiq; reddere didicisset. Accusare poteras JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, crudelia fata, quæ Tibi sub tanti Genitoris cura adolescere minimè concesserunt, nî JLLUSTRISSIMUS JOANNES MYSZKOWSKI, PATRUUS TUUS CASTELLANUS Belzensis, pari circam Tuam indolem solicitudine, Patrem se probasset, cuius gloria vel in hoc enituit, quòd non sibi sed Patriæ vivere voluerit, ex proprio ærario, obsequio Reipublicæ, Cataphractis pedestribusq; copijs militans, ne tum etiam teneræ ætati, ad Heroica facinora Domi exemplum deesset, vt Pater olim Anchises, ita Patruus Hector. Quamquam JLLUSTRISSIMUS STANISLAUS Frater Tuus, placida indole mitiora spirans, libellis magis quàm bellis parabat animum, qui in Castris primò Craciæ Minervæ strenuus Athletes, post exotico Sole futuris Patriæ vsibus, ab experientia rerum gerendarum Magistra subsidia quærens, spem fecerat, lucem se daturum honoribus, nî mors præmatura, vitæ Eclipsim accersisset, hoc vno iniquior visa, quòd in loco æquitatis, cùm Iudex Deputatus in Tri-

bunali Regni, sacrum iustitiæ negotium ageret, ausa est humana convellere jura, illum innocentis animi florem extinguens, cuius fragrantia, etiam JNNOCENTIO XI, cæterisq; exoticis Principibus in delicijs fuit.

Tu superstes Augustæ Columna Domus JLLUSTRISSIME, & EXCELLENTISSIME DOMINE, CASTELLANE SANDOMIRIENSIS CAPITANEE LANCKORONENSIS, tantorum splendorum ex asse Heres, etiam proprijs virtutibus meridiem efficis, tantò sereniorem, quantò plenius, mare luminum ex Ducali CZARTORYNSCIORUM Domo, in JLLUSTRISSIMA CONSORTE HELENA CONSTANTIA CZARTORYNSKA, DUCISSA in KLEWAN, Tibi se infudit, quam Illustrissimorum suorum Maiorum, quot Nomina, tot Numina, quot Fabii tot Clypei, tot Atlantes, Orbis Lechici baiuli, corusca meritorum luce circumdant. Tantis conservandis vtriusq; Illustrissimæ Domûs decoribus, parùm Tibi visum JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, armari acinace, cùm Viennenses ac Bucacenses Campi, contra Asiæ Encelados, Te strenuum probassent Achilem, & Martia Virtus Tua, à Serenissimo ac Invictissimo Poloniarum Rege JOANNE III præconium ferret, Te Reipublicæ Optimum defensorem futurum. Parum in Reges & Principes fidelitatis, & amoris tenorem incorruptum servare. Parum summis Virtutibus, prudentiâ, fortitudine, liberalitate, gloriosè clarere. Parum omnigena eruditione, quam olim in Schola Regni ALMA ACADEMIA CRACOVIENSI sedulus quæsiisti, instructissimum, vt Civem Patriæ decet, habere

ani-

animum, quo vt Macedo ense, intricatâ publica quæcunq; negotia resolvere nostî, nî literas, gestorum & temporum testes, Tuæ JLLUSTRISSIMÆ DOMUI, in excubijs posuisses. His enim datum est vindicare ab interitu Orbem: fugacia, vel levi penna frenare sæcula: æternitati servare, quidquid in apricum protulit ætas: Heroum trophæa & triumphales palmas, longa serie succedentibus tradere Posteris: immortalitatem, mortalibus, inducere rebus. Occinat venusinus vates, vixisse fortes ante Agamemnona multos, sed omnes illachrymabiles, vrgeri longa nocte, carent quia vate sacro; vel ideo, quòd parum sepultæ distet inertiæ, celata virtus. Non hæc vesperugo, Tuis, JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, ominosa splendoribus, quibus lumen literarum accedit: immortali charactere consignata, JLLUSTRISSIME DOMUS TUÆ Decora, æternitatis continebunt fasti, hancq; munificentiam sæculis loqventur, qua decrevisti, vt Iagelonica Pallas, hîc Musis innocentibus sua Castra metata, armis lucem spargentibus, proscriberet, à rudibus iuuenum animis, inscitiæ noctem, fugaret ignorantiæ monstra, contra sapientiæ hostem decertaret. Benè licet ominari tenellis in hoc loco Musis, quibus ædes & sedes contigit Divorum confinio veneranda; sic enim cognato velut vicinorum sibi Numinum tenebuntur complexu, hisq; propitijs Cæli sideribus, benigniores in se derivabunt influxus. Benè licet sperare Tuo Athenæo, cuius iacta fundamenta, eodem celsiùs surrexêre anno, quo Tui, JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, MARCHIONATUS,

per tot lustra temporum, deductum sæculum, sua felicitate coronatur, omine non vano, eandem immortalitatem JLLUSTRISSIMIS MYSZKOVIIS MARCHIONIBUS, Cælos largiri, quam literis, superi concessêre. Benè & Tibi Urbs Pinczovia licet ominari, cuius velut fessis visceribus, resides aquas & literarum amnes, gratiosa munificentia, JLLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI CASTELLANI infudit. Benè & Vobis lectissimi Iuvenes, quibus, non fabulosi Pegasi vngulâ, sed liberalitate Principe digna, melior Hypocrene, fons Musis producitur sacer, vt ceu novæ plantæ, iuxta harum decursum aquarum, crescatis, vberrimum fructum, Reipublicæ & Ecclesiæ allaturi. Coronet Orbis & felix æternitas, JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, hanc Tuam in literas munificentiam; Cracoviensis ACADEMIA, Tibi suo Benefactori, optimo bonarum literarum Fautori, pro tanto beneficio, gratiarum litat devota Hecatumben, cum eo voto, vt quem in hoc loco, Fundatorem munificum agnoscit, longum in ævum, Patronum, Protectorem & Benefactorem, in Filijs Nepotibus, populisq; Nepotum veneretur

DIXI.